



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt VI. Oppositiones contra Lutheri doctrinam, priùs habitae à priuatis,
mox à Caesare & Pontifice.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11642

plo memorato super eodem argumento; eandemque simul habuit per vniuersam Germaniam typorum facundiã. 1517.

- 2 Proponebat Lutherus recensitas sententias, vti mos est noua molientibus, per simulatam moderationem à vero metu profectam. Aiebat, idcirco se nihil affirmatè pronuntiare, sed solum dubitantis modo; atque omnino Ecclesiæ iudicio se submittere. Et sanè credibile est, id quod ipse scribit in præfatione primi voluminis, eum non concepsisse initio spiritus sic elatos, cuiusmodi postea ab euentus prosperitate in illo sunt excitati, atque eos turbines casu commotos. Ex quo palàm est, eum cæli interpretem non fuisse, vt Propheta ac Diuinus Redemptor, qui nos veram legem edocuerit. Hi etenim ab eo Spiritu confirmati à quo mittebantur, electo populo prædixerunt per promissa, quæ id temporis pro eorum statu humanæ ratiocinationi temeraria videbantur, ingentia illa incrementa, quæ postmodum euenere. Neque vniquam trepidè verbum locuti: quin Christus asseueranter dixit, Cælum ac terram transitura, numquam verò suorum verborum tenorem.
- 3 Præterea Lutherus, vbi prius in thesibus quos diximus Concionatores incensabat, quòd acrius compellerent homines ad diluendam per Indulgentias pœnam finiti temporis, quàm ad charitatem augendam per opera præmium merentia; paulò post, esse meritum negauit, illiusque boni operis emolumentum; imò affirmavit, in omni opere lethalem culpam inesse.
- 4 De Pontifice dislerebat ille quidem alicubi cum quadam submissione, quòd eum sopiret, ac sibi gratiam conciliaret ostentatione modestiæ: alibi verò cum despectu, quòd illius venerationem minueret, à quo se condemnatum iri præuidebat.

C A P V T V I.

Oppositiones contra Lutheri doctrinam, prius habitæ à privatis, mox à Casare & Pontifice.

- 1 **A**duersus Lutheri Conclusiones exposuit alias Tetzelius Francofurti, vbi Quæsitorem Fidei agebat, quibus probi Theologi partes expleuit, cum breuissimè & intra thesium limites Lutheri fallacias detexerit, & Romanum Pontificem atque Concionatores aduersâ opinione purgauerit, qualem ipsis constabant vafre astutaque verborum formulæ, quibus Lutherana scripta texebantur. Verumtamen hæ theses, quòd obiectabantur ab æmulo, quodammodò antiperistalim imitata sunt, ad obfirmendam in sententia Lutheri

1518. Lutheri pertinaciam. Addit * Melancthon, iussu Tetzelij igni traditas Lutheri theses, vti hæreticas: sed hic in suis literis nullam huiusce rei mentionem facit, seu ob illius combustionis falsitatem, seu ad rei notitiam dissimulandam, quò pariter vltionem dissimularet; cum parèm acceperint contumeliam à flammis Wirtembergæ octingenta exemplaria thesium Tetzelij. Quod tamen in foro publicè peractum fuerit ante conspectum totius Vniuersitatis, * scribit tamen Lutherus, Duce, Magistratibus, ac se infcio, imò ægrè ferente, id fuisse patratum. Adeò rarum est citò ad extremum audaciæ deuenire, vt non modò superiorem subditus conculcet, sed à se conculcari profiteatur.

* Tom. I. Epist. 42. & 47.

* Epist. 44. tom. I.

Scriptit illicò aduersus Lutherum breuissimas quasdam notas Ioannes Eckius, Ingolstadij Procancellarius, & Augustæ Concionator, vir doctrinà & eloquentià præpollens, prout eius Opera typis edita palàm faciunt. Hunc à se despici simulabat publicè Lutherus, quò eius contradictionem auctoritate exarmaret. Ea verò ab Eckio fortasse minùs acerba confici potuisset, quò non tam hosti spiculum inferret, quàm erranti facem præferre videretur. Fortè oppugnatores, dum præposterè hæreticum indigetant, hæreticum faciunt: & fortè è contrario in ipso opere necessitas sese obtulit, obrecti veneni patefaciendi, ad cautelam prouisionemque imperitorum, nobis absentibus haud explorata. Constat planè, ad has Eckij notas atrocissimo animi sensu Lutherum excanduisse, ei que per extrema conuitia respondisse. Verùm in * epistola priuata satis aperuit, quanti faceret in Eckio virtutum præstantiam, quantumque doleret, tam egregium virum, prius secum amicitia coniunctum, sibi aduersarium experiri: quod certè pleniorè auctoritatem addidit Eckij oppositionibus, quippe à sincero iudicio, contra studij propensionem, profectis. Quòd si plures Eckio pares nouis Lutheri placitis occurrissent, quòd ille ex parte repressit, illi penitus oppressissent.

Non adeò in rem fuit scriptum, quo ea Romæ reiecta sunt, vbi primùm de Germaniæ turbis rumor peruenit. Illic Siluester Prietas, sacri Palatij Magister, ac generalis Quæsitòr Fidei, Theologiæ præsertim Moralis peritissimus, vt ex eius voluminibus liquet, opusculo Pontifici dicato ea refutauit. Sed quàm appositè proponebatur ibi fallacia Lutheri sophismatum, tam icuene rationes afferebantur, ad reuincendam falsitatem illius assertionum; cum ex non semel tamquam hæreticæ ibi damnarentur, non alio ferè argumento, quàm Pontificiæ auctoritatis. Quare scriptum il-

lud

Iud & Lutherum exasperauit, quod se altè petitum cerneret probris æmulorum, quibus humana superbia numquam se victam fateretur; & planè ipsum edocuit, hanc infamiam euitari non posse, nisi oppugnatâ Romani Pontificis potestate; induxitque vt crederet, eâ semel expugnatâ, nullum aliud superesse vincendum magni roboris obstaculum.

4 Eiusmodi nouitas in controuersia Religionis à Luthero excitata, maiori sollicitudine Germaniam quàm Romam vrgebat: quippe homines cordati, qui proprium bonum malo eorum quibus inuident metiri non solent, satis præuidebant, vtcumque ea Romæ aliquam auctoritatis detractionem potuisset afferre, Germaniæ quidem allaturam exitium innumerabilium animarum per hæresim, innumerabilium verò corporum per bella ciuilia. Quapropter cum solemniter tunc iniretur Conuentus Augustæ, Maximilianus Cæsar exposuit ibi Septemuiris, ceterisque Procerum Ordinibus nouas doctrinas, quas Lutherus de Indulgentiis & de auctoritate Anathematis disseminabat; circa quod etiam scripto vulgauerat perniciosam concionem à se habitam, quod se suosque audaciâ muniret contra fulmen illud, quod in se vibrandum præuidebat. Illinc etiam per literas certiosem fecit Pontificem, Martinum obdurescere in suis hæreticis doctrinis, quas vt tales Magister sacri Palatii notauerat: adiecitque, eum foueri patrociniis quorundam Principum. Proinde Pontificem enixè rogabat, vt auctoritate suâ prospiceret & consuleret: quidquid enim à Sanctitate sua, ad quam res pertinebat, fuisset sancitum, effecturum se vt in omnibus Imperij sui locis obseruaretur.

5 Hæ Maximiliani literæ, in Operibus eiusdem Lutheri impressæ, à Suauis certè prætermittendæ non erant, si Lectorem de hac causa sincerè voluisset edocere; quippe quæ iactatam vulgò in Leonem accusationem diluissent, quali nimis propter Lutherum irritasset, plagamque perfreuerat. At situm hoc est in animis mortalium, vt in aduersis rebus culpa semper attribuatür ei quod patratum est, magnique existimetur emolumenti id quod prætermisum: atque hinc est, quod præterito ac præsentem numquam satis contenti, maximam in futuro voluptatem speremus, plurimumque commodi fingamus in eo quod non fuit, posito quod fuisset.

6 In vno fortasse defecit Leo, sed excusabili defectu, quippe summis Principibus consueto: nimium scilicet credidisse, posse re ipsâ obtineri à se, quod iure potuisset; illectum tamen ad eam opinionem à prolixis plenisque obsequij Cæsarum pollicitationibus.

Hinc

1518. Hinc omisit planè rem priùs cum Saxone stabilire, à quo eius effectus pendeat; quandoquidem neque sacra Pontificis auctoritas vim obtinet contra nolentem, neque profana Maximiliani se tam validam ostentabat, quæ posset suo iussu pollentem viribus Septemuirum deterrere. Quare Saxo, qui ante susceptam priuati hominis tutelam fortasse honori sibi duxisset, duobus hinc summis Principibus sponte gratificari, compulsus ad reuerentiam Lutherò, dum opportuna erga se officia negligebantur, se paulatim abduci passus est ab ea vi, quam incutit viuida eloquentis hominis vox, & auditorem doctrinâ superantis: adiecto etiam delectamento, quo gaudent Principes, hominem in sua ditone natum supra ceteros exteros sapientiâ ac ingenio excellere, & consuetâ propensione putandi, debiliorem à potentiore opprimi.

Romæ itaque, vbi lentius quàm pro rei magnitudine mora trahatur (vbi mos est in Aulis maximis, in rebus quæ nondum ingentes videntur, ac præsertim procul spectatæ ipsâ longinquitate minuuntur) Augusto ineunte, nimirum nono mensè post excitatione à Martino turbas, mandato Pontificis expeditæ ad Lutherum literæ ab Apostolica Camera Auditore, quibus in ius ritè vocabatur Romam, vbi intra sexagenum diem præsens causam diceret super iis quæ ipsius doctrinæ opponebantur. Causæ Iudex idem Auditor delegatus, qui ex suo munere Pontificias omnes sanctiones exequitur. Sed quò Theologi iudicio dirigeretur, collega illi adiunctus sacri Palatii Magister, cuius supra facta est mentio, ad quem causa spectabat, quippe tunc generalem Fidei Quæsitorem: cogitaret interim Lutherus, an illum vellet, vt ipsi fas erat, suspectum denunciare, ob commissam priùs inter eos contentionem.

C A P V T VII.

Effecta post diem Lutherò dictam.

HÆc in ius vocatio, Lutheri animum summoperè exagitauit; quippe certum non parere, incertum an impunè id posset. Promiserat illi Saxo, se non permissurum vt vi extra Germaniam traheretur: sed idem non ignorabat, Principes etiam non semper posse præstare, quod cum promiserant, se posse putarant. Neque tum illi erat tantum impudentiæ, vt satis esset ad sustinendam à Pontifice in causa Fidei damnationem citra pudorem. Eapropter iteratas scripsit, * atque anxias literas ad Septemuirum, Conuentus causâ commorantem Augustæ, & ad Georgium Spalatinum, illius Aulicum,

* Epist. 41.
tom. 2.